160

## Stanislao Hosio.

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithvaniae Russiae Prussiae Masoviae etc: Dominus et Haeres.

Reverende in Christo Pater sincere Nobis Dilecte. Herum eam Nobis Illustris Dnus Albertus in Prussia Dux per literas significavit, Ordinis Teutonici Magistrum et Henricum Ducem Brunsvicensem per Pomeraniam et eam Regni partem in qua Posnania est in Terra Prussiae repente irrumpere velle, ad eamque rem exercitum satis insignem, et numerosum comparasse, et per quandam pacificationis sedendorumque Germaniae tumultuum speciem ad Civitatem Lubecam ita alere, ut illis subinde alii atque alii auxilio veniant, et se socios adjungant, ac scribimus Nos quidem ad Sanctitatem Suam, ut quam rationem comprimendorum Hostis conatuum ineundam esse arbitretur, Nobis perscribat, sed et Sti Suae mandamus, ut Arces et Civitates suas contra omnes hostis vim vel fraudem muniri curet, atque adeo omni ratione provideat, ne quid propter ejus negligentiam Respublica Nostra capiat detrimenti. Nos quidem si necesse esse compererimus, obviam Hostibus ire non negligemus: factura Stas Tua pro Officio suo et gratia Nostra. Datum Vilnae ultima Maij Anno Domini M. D. L. IIII Regni Nostri XXV.

Ad Mandatum Sacrae Regiae Majestatis proprium

Reverendo in Christo Patri Domino Stanislao Hosio Episcopo Varmiensi sincere Nobis Dilecto.

Vostówné nas ostrzega X. Pruski o Mistrzu Teuton: tudzież ze Henryk X. Bruns: przez Pomeranią na Poznań albo Ziemie Pruskie uderzyć zamyśli tex opatrz.

Ordo Teutonicus. / Brunsvicens.